

www.e-rara.ch

Ioh. Bapt. Plantini ... Helvetia antiqua et nova; Generalem Helvetiae Antiquae et Novae quoad conjuncta et partes descriptionem, Helvetiorum Originem, nomina, mores, religionem, politiam, virtutem ...

Plantin, Jean-Baptiste

Tiguri Helvetiorum [Zürich], MDCCXXXVII [1737]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 6237

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24139>

Caput I. Sub qua Europae parte Helvetia antiquitus habita fuerit?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20^e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CAPUT I.

Sub qua Europæ parte Helvetia antiquitus habita fuerit ?

Generalis Helvetiæ descriptionis opus aggressuri, illud hoc modo distinguemus, ut prius de regione ipsa, postmodum de regionis incolis locuturi simus. Circa ipsam regionem quædam in genere considerabimus & quidem; 1. *Sub qua Europæ parte Helvetia fuerit habita?* 2. *Quenam fuerit ejus longitudo & latitudo?* 3. *Quenam ejus divisio?* 4. *Quenam illius qualitas?* Primam quæstionem hoc capite excutiemus.

Sicut pro temporum varietate Europa varie distincta & divisa, ita quoque Helvetia sub diversis provinciis ab Antiquis comprehensa fuit. Prius tamen annotare juvat, incognitum fuisse Homeri & priscorum Græcorum tempore Europæ nomen; Ita ut *Hispani, Germani, Itali*, & quidquid Europa regionum continet, Celtarum nomine censerentur; Donec tandem facta regionum & populorum distinctione, unicuique regioni peculiare propriumque inditum fuit nomen, veluti *Hispania, Germania, Italia, Britannia, Gallia*, cujus tamen maxima pars, scilicet Celtica, una cum Germania nomen diutius retinuit. Sic strictius Celtæ vocabulum sumptum fuit, ut ex Cæsare & Strabone patet: Cæsar enim Gallias in tres partes dividit, quarum unam (inquit) incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Universos quoque Gallos a Græcis CELTAS appel-

latos opinatur Strabo Lib. IV. Sub his a Veteribus comprehensi sunt HELVETII: Cum enim Cæsar Helvetios, *reliquos Gallos virtute præcedere*, dicat, Gallos exinde fuisse, satis colligere est. Testatur quoque Tacitus Lib. I. *Helvetios Gentem esse Gallicam*.

Cum autem jam ante Julium Cæsarem Romani Galliam in *Braccatam*, (ita a certo vestis genere dictam) & *Comatam* distinguerent, Helvetia sub hac intellecta est; Sic enim Sabellicus Enn. VI. Lib. V. *Helvetii tenebant Galliæ Comatæ partem, quæ Rheno a Germania excluditur*.

Helvetiam sub Gallia Celtica a Cæsare comprehensam vidimus; Contra Plinius sub Belgica collocat Lib. IV. Cap. XVII. In hac fere est sententia Ptolomæus, qui Belgicam seu Germaniam (ut loquitur Willichius in Tacitum) triplicem fecit, unam quidem inferiorem, quæ intra Mosam & Rhenum usque ad Obrincam, id est, Mosellam patet, ubi sunt *Menapii, Batavi, Agrippinenses, alique finitimi*; Alteram vero superiorem inter Obrincam & Rhenum usque ad Juraßum montem, ubi sunt *Nemeti, Treviri, Raurici & Helvetii*. Tertiam nominat magnam, quæ quidquid terrarum intra Rhenum & Vistulam est, capit. Hæc opinionum diversitas ex eo oritur, quod Cæsar, Plinius & Ptolomæus in limitibus, qui modo restringuntur, modo extenduntur, non conveniant. *Vide Merulam part. 2. Lib. III. Cap. XIX. suæ Cosmographiæ*.

Augusti porro temporibus, ut commodius Gallia gubernaretur, omnes in septendecim provincias ab Augusto distributæ sunt Galliæ, sicut in imperii occident. Roman. provinc. noticia recensentur. *Helvetia* autem sub provincia Lugdunensi quinta, maximam partem habita est. Postea etiam pars una *Rhætiæ*, altera *Sequaniciæ* est attributa. Ammianus Marcellinus

nus Helvetiam *Alpium Grajarum & Penninarum* provinciae adscribere videtur, quando in hac Aventicum Helvetiorum caput recenset. Tandem occupata maxima ex parte, a Vandalis Burgundionibus Helvetia, Germaniae pars una, Burgundiae altera tributa est: Burgundiae enim Reges, eam quae est inter Juram montem & Alpes, usque ad fl. Ursam, regionem occuparunt, quae Burgundia minor & transiurana, Ducatus & Comitatus respectu, vocabatur. Quod reliquum in Helvetia fuit, sub Alemanniae ducatu comprehendebatur. Hodie vero omnes pene Geographi Helvetiam in superiore Germania collocant, siquidem labente tempore linguam & originem a Germanis acceperunt, sic enim Cluver. Lib. II. Cap. IV. Ant. Germ. *Helvetii Gallica licet gens antiquitus fuerint, intra Galliae fines positi, tamen quia & ipsi olim Rhenum transgressi proximos Germaniae agros obsederunt, ac postremum Alemanni ex ipsa Germania profecti Helvetium agrum occuparunt, in Germania collocantur.*

Hic tamen aliqua distinctione opus est, non enim omnes Helvetii moribus & lingua Germanis similes sunt. Nam qui regionem, quae vulgo Vaudi, (Vaulxii corrupte dixit Lambert. Wanderburchius in Historia Sabaud:) & vicina loca incolunt, non minus quam reliqui Helvetii dicendi sunt, etsi ab illis lingua & moribus non parum differant: Quod per transennam dictum esto, tum adversus quosdam Authores, tum contra eos, qui Vaudi incolas, Sabaudos per contemptum nominant. Quanam vero illa est consequentia? Regio Vaudi olim a Sabaudiae Comitibus contra Imperii jura, usurpata fuit. Ergo illius incolae sunt Sabaudi. Sed quis has morabitur ineptias? Certum ex Veterum monumentis Aventicum Helvetiorum caput, & celebriorem fuisse reliquis Helvetiae

partibus Aventicensem tractum: Quod si a regione, quæ Helvetia nuncupatur, illius incolæ Helvetii nuncupantur, certe non minus Vaudi incolæ quam reliqui, pro Helvetiis sunt habendi, cum eorum regio Helvetiæ pars fuerit. Sicut etiam Helvetia nominari & esse Helvetia non desit, quamvis Romanis Imperatoribus subjecta, ita nec Regio Vaudi (*le Pays de Vaud*) ab Helvetia, tanquam a suo toto est divellenda, licet olim per multos annos Sabaudia Comitibus paruerit.

CAPUT II.

De limitibus, longitudine & latitudine Helvetiæ.

Cæsar ut primus Helvetiæ fortitudinis domitor, ita etiam, ut opinor, Helvetiæ fines primus descripsit, quamvis non ita accurate, sic vero ille Lib. I. Bell. Gall. *Undique loci natura tuti Helvetii continentur, una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helveticum a Germanis dividit: altera ex parte monte Jura altissimo, qui est inter Sequanos & Helvetios: tertia Lacu Lemano & flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit.* Juxta hanc Cæsar's descriptionem Helvetia scuti formam refert, cujus pars inferior Rheni, Rhodanique fontes attingit, & caput seu pars superior per montem Juram extenditur; ut suis in Cæsarem comment. Vigenereus annotat. Hanc descriptionem non omnino accuratam, aut saltem obscuram esse patet. Primo quod non appareat, quosnam Helvetia ab oriente limites habuerit, aut quomodo a Rhætis separata fuerit? Quod enim legitur de Rheno Helvetios a Ger-